

fidei, quæ sunt gratiæ auxilia, sunt tantum media respectu Dei, fidem ut finem intendentis; sic autem debent vel solent esse posteriora in mente Dei, cum media ut media sequantur finem in intentione: sed media gloriæ, quæ sunt nostra merita, respectu Dei sunt tantum motiva, respectu autem nostri sunt media; unde quamvis comparate ad nostram intentionem sint posteriora, tamen comparate ad voluntatem Dei gloriam nobis intendentem sunt priora, cum motiva ut causæ morales prius semper supponantur in mente decernentis, quam id quod vi morali aut impetratoria eorum decernitur.

Ad Conf. R. D. M. Gloria habet rationem hæreditatis jure nativitatis *N.* jure adoptionis *C.* Jam vero ad hæreditatem jure adoptionis capessendam requiritur, ut filius Dei adoptivus per bona opera acquirat aditum ad hæreditatem, ut patet ex textu Apostoli: *Hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

Inst. 3. Licet respectu nostri gloria se habeat ut præmium; tamen illam prius intendimus quam merita; ergo et idem dicendum de Deo. *Conf.* Quamvis prædefinitio ad actum bonum dependeat ab aliqua conditione, tamen ante prævisionem conditionati absolutam habetur prædefinitio, et hæc indivisibiliter tendit in media et actum bonum; ergo nec prædestinatio debet sequi prævisionem absolutam, sed indivisibiliter tendere potest in gloriam ut finem, et merita ut media.

R. N. Cons. *Disparitas* est, quia gloria respectu nostri est finis nobis proprius ac præfixus, præmium autem alienum seu ab alio nobis dandum, adeoque gloriam prius quam merita recte intendimus: sed respectu Dei gloria est finis alienus et præmium ab ipso Deo conferendum aliis, adeoque merita prius quam gloriam attendere debet; præsertim cum finem antecedenter non intendat, nisi inefficaciter et conditionate.

Ad Conf. R. N. Cons. *Disparitas* quoad 1^{um}. est, quia conditio illa, quæ est in prædefinitio, est mera conditio, nec habet rationem causæ moralis aut motivi vel impetrationis, adeoque nihil exigit ejus absolute futuri prævisionem: conditio autem in prædestinatione, nempe merita, rationem causæ moralis et motivi vel impetrationis dicit; quæ non movent, nisi prout in aliqua temporis differentia absolute existunt, aut exitura prævidentur. Quoad 2^{um}. *Disparitas* est, quod tendentia illa indivisibilis in prædefinitioe nihil impediat quominus vel gratuita vel non gratuita dicatur; cum conditio, ex qua dependet prædefinitio, sit pura et mera conditio: e contra tendentia illa indivisibilis, ob contrariam rationem proxime expositam, impediret, ne prædestinatio sit gratuita; et tamen etiam faceret, juxta intentum suorum Patronorum, ut sit gratuita, eo quod merita et præmium indivisibiliter intenderentur.

Inst. 4. Prædestinatio ad gloriam non videtur aliud exigere, quam prædestinatio ad gratiam: sed hæc non requirit merita absolute prævisa; ergo nec illa. *Conf.* Eodem modo prædestinamur ad gloriam, quo prædestinamur ad perseverantiam finalem, utpote quæ proxime et necessario connexa est cum gloria: sed ad hanc prædestinamur gratuito seu ante prævisa merita; quia juxta Aug. et Trid. est magnum Dei donum, et juxta idem Can. 22. nisi ex speciali Dei auxilio non potest haberi; ergo.

R. N. M. *Disparitas* est 1^o. quod gloria intenditur ut præmium, gratia

autem ut donum: 2^o. quod gratia nempe prima est principium meriti; adeoque sub meritum non cadit, et gratis omnino dari debet: sed gloria est quasi effectus meritorum, adeoque sub meritum cadere potest ac debet.

Ad Conf. R. D. M. Ad perseverantiam finalem prædestinamur gratuito, hoc est, ante prævisa merita de condigno *C.* gratuito, hoc est, ante merita etiam de congruo *N.* Perseverantia finalis cadit sub meritum de congruo; quamvis vero perseverantia *passive* sumpta etiam detur non orantibus quibusdam et sine ullo merito etiam congruo præcedente, ut patet in parvulis post Baptismum statim morientibus, tamen et his datur gloria tantum ut hæreditas, non autem ut *corona*; et perseverantia *active* sumpta non datur nisi orantibus, ut docet S. Aug. L. de Don. pers. c. 16. n. 39. scribens: *Cum constet alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam: profecto qui ex seipso hanc se habere putat, non orat ut habeat.* Perseverantia autem manet adhuc simpliciter *donum*; quia merita congrua et impetrationis non important debitum, sed sola merita justitiæ et de condigno: manet etiam magnum *donum* ac speciale; tum quia singularis Dei benignitas et misericordia est, quod hominem ex hac vita rapiat tunc cum justus est: tum quia in multis offendimus quotidie et tam frequentes sunt prolapsiones nostræ ac negligentia, ut revera pro speciali Dei beneficio haberi debeat, quod, his non obstantibus, gratiam conferre dignetur. Neque officit quod perseverantia non cadat sub meritum *condignum*, ut gloria, de quo tamen merito controversia nostra est; quia gloria nihilominus dici potest decerni et dari ex meritis proprie talibus ac de condigno, cum opera meritoria perseverantia vere sortiantur nomen et essentiam meriti de condigno respectu gloriæ, licet ipsa gratia perseverantia detur duntaxat ob meritum congruum, ut patet ex aliis meritis de condigno, ad quæ gratia omnino gratis datur.

Inst. 5. Christus juxta S. Aug. L. de don. persev. c. 24. n. 67. est exemplar prædestinationis nostræ: sed illa fuit gratuita et ante merita prævisa; ergo. *Conf.* Si electio ad gloriam facta esset ex prævisis meritis, ergo mysterium prædestinationis non foret *incomprehensibile*: quærenti enim cur hic sit prædestinatus, ille reprobatus? facile responderetur, quia Deus prævidit illum habiturum merita, illum demerita: sed hoc est contra Apostolum, qui Rom. 11. ait: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* ergo.

R. D. M. Christus est exemplar prædestinationis nostræ ad gratiam, de qua etiam S. Aug. l. c. agit *C.* prædestinationis ad gloriam *subd.* est exemplar adæquatum et quoad omnia *N.* inadæquatum et quoad aliqua *C.* Similitudinem aliquam representamus quoad eundem terminum, nempe gloriam, et quoad modum consecutionis gloriæ accidentaliter, quatenus compati oportet, ut conglorificemur; non vero representamus quoad prædestinationem; cum gloria illi debeatur ex naturæ unitæ societate: neque melius esset ea carere, nec ejus absentia aliunde quidpiam faceret ad finem Incarnationis.

Ad Conf. R. N. M. Licet enim *difficultates* nonnullæ emolliantur in nostra sententia, supersunt tamen multæ, quas mortalium nemo solvet unquam. Nempe cur ex multis efficacibus gratiæ auxiliis, quæ tali homini Deus conferre potest, cum quibus salvus fieret, ea tamen duntaxat conferat, quibus

non consentiet; alteri vero ea, quibus prævidetur consensurus, donet? cur e duobus justis, unum ex hac vita rapiat, dum justus est; alterum periculis tentationum obnoxium relinquat, quibus futurum est, ut tandem succumbat? cur e duobus peccatoribus, unum etiam sceleribus majoribus implicitum efficaciter convertat, alterum non adeo scelestum derelinquat? cur e duobus infantibus originali peccato æqualiter infectis, permittat unum baptizari antequam moriatur; alterum vero non? In his enim et similibus aliis exclamare cum Apostolo oportet: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus!*

230. *Observa.* Pro sententiâ nostrâ melius intelligenda juvat ordo signorum rationis; quemadmodum in aliis etiam materiis theologis aptam actuum divinatorum, secundum nostrum concipiendi modum, seriem ac dispositionem statuere moris est, ut singula accuratius ac ordinate magis exponantur. Est autem hujusmodi: 1°. Videt Deus homines posse elevari ad finem supernaturalem, eumque posse consequi per quælibet gratiæ auxilia, si iis cooperari velint. 2°. Decernit homines creare, ad finem supernaturalem elevare et ordinare, media ad hunc finem dare idonea et sufficientia, prout opportunitates et circumstantiæ se offerent, nisi placuerit per specialem providentiam alicui vel plane singulares conferre gratias, vel abbreviare vite annos. 3°. Videt, quid in hoc vel illo ordine providentiæ, in his vel illis circumstantiis, cum hac vel illa gratia homo quilibet sit factururus; an consensurus vel dissensurus. 4°. Decernit naturas rerum suavissimo ordine disponere, et non mutare providentiæ suæ ordinem; huic quidem has, alteri vero illas gratias dare secundum opportunitatem circumstantiarum, nonnullis etiam gratias plane singulares secundum specialem providentiam. 5°. Videt cujuslibet opera omnia et singula in se et absolute, etiam finalia hujus merita, illius demerita. 6°. Decernit huic gloriam, illi pœnam æternam.

In hac serie apparet triplex decretum Dei, cui et triplex scientiâ præluet: 1^{um}. est voluntas generalis et inefficax salvandi omnes in secundo signo; cui præluet scientiâ simplicis intelligentiæ in primo signo: 2^{um}. est voluntas specialis salvandi aliquos, sed formaliter adhuc inefficax, licet virtualiter efficax dici possit, quatenus, supposita voluntate generali salvandi omnes in gratia finaliter perseverantes, et decreta in quarto signo tota usque ad vite finem gratiarum efficacium serie vel gratia finali, Deus gloriam postmodum negare non potest, quamvis circa hanc in isto signo non habeat nisi simplicem de ea complacentiam; et huic in signo tertio præluet scientiâ media: 3^{um}. est prædestinatio formalis seu voluntas specialis salvandi aliquos efficax et absoluta in sexto signo; cui in signo quinto præluet scientiâ visionis. Qui prædestinationis actus secundum subjectum et causam meritoriam uberius declarare volunt, secundo et tertio signo in priori serie relato interserunt alia quædam: scilicet quod Deus permittat et consequenter prævideat peccatum Adami: quod decernat Incarnationem in ejus remedium, et intuitu meritorum Christi media ad salutem idonea conferre velit: quibus insertis reliqua ex ordine sequuntur.

QUERES: *Quanam fuerit sententiâ S. Augustini de prædestinatione ad gloriam?*

231. *Dico* I. S. AUGUSTINUS neque directe et ex professo, neque indirecte et propter connexionem doctrinæ, asseruit gratuitam prædestinationem inadæquate sumptam et præcise ad gloriam.

Prob. 1^o. p. I. Prædestinatio, quam asserit S. Aug., est dogma fidei; sic enim L. de Dono persever. c. 19. n. 48. loquitur: *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse; et c. 23. n. 65. Prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit: Sed nec Adversarii dicunt, gratuitam prædestinationem præcise ad solam gloriam esse dogma fidei; ergo.*

II. Prædestinatio quam defendit, illa est, de qua ipsi controversia fuit eum Pelagianis et Semipelagianis: sed controversia illi cum his non fuit de prædestinatione præcise ad gloriam; ergo. *Min.* liquet ex erroribus istorum circa prædestinationem.

Nam Pelagiani volebant: 1°. quæcumque gratiam dari secundum merita liberi arbitrii viribus præparata: 2°. Deum fore injustum personarum acceptorem, nisi omnes ex parte sui vellet salvos fieri, ita ut neminem præ alio diligeret, aut majori donaret beneficio, nisi hæc largiretur secundum merita naturalia.

Semipelagiani autem statuebant: 1°. fidem sic dari, ut tamen ad ejus initium sufficeret et requireretur liberum arbitrium ex propriis viribus operans: 2°. perseverantiam dependere a merito naturali, non tantum ex eo quod illa supponeret ante se fidem, cujus initium esset ex viribus naturæ; sed et quia ante gratiam quamlibet ac opus bonum, deberet ex nudo arbitrio libero aliquid præcedere, propter quod daretur gratia ad inchoandum et perficiendum opus bonum necessaria: 3°. hoc fidei initium et naturæ conatum absolute futurum seu absolute a Deo prævisum, esse causam, motivum et regulam dandi fidem ac perseverantiam; imo conditionate prævisum cum bonis operibus, quæ reipsa non erant futura, sed futura essent in infantibus, si diutius in vita fuissent, esse rationem ejusmodi infantes prædestinandi ad gloriam.

III. Prædestinatio a S. Aug. asserta debet convenire scopo, quem in suis scriptis sibi proposuerat: sed pro scopo sibi non proposuerat ostendere gratuitatem gloriæ; ergo.

Min. ostenditur percurrendo scripta S. Doctoris ab Adversariis speciatim notata. Et quidem in EXCUR., ubi a c. 93. usque ad 104. nonnulla scribit quæ huc referri possunt: agit contra hæreticos; unde Nat. Alexander hanc de illo crisin duntaxat enuntiat: *In quo nonnulla contra Pelagianos luculentissima conscripsit S. Augustinus.* Scopus Libri de CORR. et GR. is erat, ut ostenderet, et Deum per gratiam nobis donare opera bona ac perseverantiam, et tamen recte corripi eos qui nec bene operantur, nec perseverant: quod patet tum ex causa et occasione scribendi hunc librum, tum ex ipsa descriptione, qua hæc capita probanda assumit. Librorum de prædest. Sanct. et don. persever. scopum ipse S. Doctor expressit L. de don.

persev. c. 24. n. 66. his verbis : *Sed quid plura? satis docuisse me existimo, vel potius plus quam satis, dona Dei esse, et incipere in Dominum credere, et usque in finem in Domino permanere.* Id confirmatur luculentissime ex analysi omnium capitum duplicis hujus libri, facta a P. Anton. Boucat, in Tr. 4. de voluntate Dei; qua ostendit S. Aug. maxime ac perpetuo illuc incubuisse, ut probaret prædestinationem ad gratiam esse mere gratuitam, et perseverantiam finalem esse donum ita speciale, ut non cadat sub meritum, nempe simpliciter dictum ac *de condigno*. Denique epistolæ utriusque scopus colligitur ex argumento illis præfixo, quod docet eas esse scriptas ad dandam instructionem adversus Pelagianorum argumenta vel hæresin.

Prob. 2^a. p. I. S. Aug. nequidem *indirecte* asseruit gratuitam prædestinationem præcise ad gloriam, si quidquid de prædestinatione ad gratiam scriptum, cum fundamento exponi possit vel de prædestinatione adæquate sumpta tam ad gratiam quam ad gloriam, vel de prædestinatione que excludat merita duntaxat naturalia; quia in primo casu posset quidem dici esse asserta prædestinatio ad gloriam gratuita in radice et principio, seu ratione gratiæ primæ ac consequentium efficacium et perseverantiæ finalis: in secundo autem gratuita respectively ad merita scilicet naturæ; quin per hoc evincatur causa, cum non attingatur quæstionis nostræ status; sed utrumque fieri potest. Fundamentum enim pro primo habetur tum ex definitione prædestinationis, quam dedit L. de don. persev. c. 14. n. 35. *Præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur;* tum ex æquipollentia usurpata sæpius a S. Doctore inter prædestinationem et discretionem aut liberationem a massa damnata seu perditionis, quam docet vocatione inchoari, perseverantia perfici, et gloria absolvi seu consummari. Pro secundo habetur imprimis ex causa excludendi merita, quam L. de Corr. et gr. c. 7. n. 13. sic exponit: *Quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto et electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ; non præcedentium meritorum suorum, quia gratia illis est omne meritum;* et L. de Don. persev. c. 20. n. 53. *Quid autem coegit loca Scripturarum, quibus prædestinatio commendata est, copiosius et enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod quid aliud est, quam gratiæ omnis negatio?* Deinde quia alibi declarat, in prædestinationis materia ad gloriam non excludi opera gratiæ; ut liquet ex L. de Gr. et lib. arb. c. 6. n. 15. ubi ait: *Cum dicunt Pelagiani,.... æternam vitam meritis nostris præcedentibus reddi, respondendum est eis: si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda illa sententia: quoniam vero merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant; prorsus rectissime respondet Apostolus, quis est, qui te discernit etc.* Item c. 8. n. 20. *Quomodo ergo non ex operibus?.... sed audi et intellige, non ex operibus dictum, tanquam tuis ex te ipso tibi existentibus, sed tanquam his in quibus te Deus finxit, id est, formavit et creavit.*

II. Si S. Doctor asseruisset gratuitam prædestinationem præcise ad gloriam *indirecte* et propter connexionem doctrinæ, id fecisset, vel quia dogma fidei contra Pelagianos et Semipelagianos propugnari non potest sine assertione gratiæ hujus prædestinationis; vel quia talia principia ad convellendam hæresin posuit, quæ necessario inferrent gratuitatem prædestinationis ad

solam gloriam: sed 1^{um}. esse falsum, abunde ostensum est priore articulo, et facile dabunt ipsi Adversarii, qui, si sapiunt, nostræ sententiæ Patronos non audent accusare hæreseos: 2^{um}. etiam non esse verum, liquet ex argumento proxime superiori, ac uberius patescet ex solutione objectionum.

III. Licet S. Doctor nonnunquam asserat, gloriam conferri gratis ac sine meritis, tamen nemo inferet executionem gloriæ esse mere gratuitam in mente S. Doctoris; ergo etiam licet nonnunquam dicat prædestinari gloriam gratis, non inferendum est intentionem gloriæ mere gratuitam ab eo asseri.

232. *Nec dicas* 1^o. S. Aug. L. de prædest. Sanct. c. 48. et 49. impugnat Pelagium docentem, homines eligi a Deo, quia præsciebat, qui futuri essent sancti et immaculati per liberæ voluntatis arbitrium; Unde sic arguitur: De illa electione erat controversia, quam admittebat Pelagius, et consequenter impugnabat Augustinus: sed Pelagius admittebat tantum electionem ad gloriam; quia gratiam omnem e medio tollebat, atque hinc nec electionem agnoscebat: consequenter eandem Augustinus impugnabat; ergo controversia erat de electione tantum ad gloriam. Atqui S. Doctor loco cit. n. 36. excludit omne meritum etiam gratiæ, dum ait: *Elegit nos ut essemus sancti, non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est, ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans ut tales per gratiam ejus essemus;* ergo.

R. 1^o. N. M. Quia potius erat controversia de electione illa quam Pelagius negabat, et S. Aug. propugnabat; cum hic in omnibus suis scriptis gravissimis argumentis prædestinationem asseruerit.

R. 2^o. N. min. Contrarium habetur ex L. cit. c. 48. n. 37. *Cernitis procul dubio, cernitis, quanta manifestatione Apostolici eloqui defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana, tanquam homo aliquid prior det, ut retribuatur ei. Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos sancti et immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinavitque, ut essemus;* ex quibus constat, negatam fuisse a Pelagio electionem in adoptionem filiorum Dei per gratiam, ab Aug. vero assertam. Confirmari id potest ex Tr. de Grat., ubi systema illius Hæretici totum exponitur, et ab eodem gratiam illustrationis tandem admissam, sed duplici errore foedatam probatur: ne quid dicamus de gratia habituali, ab eo etiam probabiliter sæpius assertam cum errore de meritis naturæ.

233. *Nec dicas* 2^o. Idem disputat contra errores Semipelagianorum a SS. Hilario et Prospero propositos: sed hi referunt illos errasse, quod dicebant homines ob merita gratiæ ad gloriam prædestinari, ut patet ex verbis epistolæ PROSPERI n. 3. *Hæc ipsorum definitio de professione est,.... præscisse ante mundi constitutionem Deum, et eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, et de hac vita bono fine excessuros esse præviderit;* ergo. Conf. 1. Semipelagiani querebantur de doctrina S. Aug. ex eo quod statueret efficacem et absolutam ante omnia merita prævisa prædestinationem ad gloriam; et S. PROSPER sciscitatur ex S. Aug., quomodo diluatur id, quod, relicta Patrum antiquorum doctrina de prædestinatione ex præscientia meritorum facta, ipse aliam viam inierit, præ-

destinationem referendo ad solam Dei voluntatem ac propositum; prout constat ex epist. PROSPERI ad Aug.; ergo utrique censent, AUGUSTINUM statuisse prædestinationem etiam ante prævisionem meritorum gratiæ. *Conf. 2º.* S. Aug. L. de Dono persev. c. 9. 11. et 12. contra *Semipelagianos* docet, eodem modo prædestinari adultos, quo infantes prædestinantur: sed infantes prædestinantur ad gloriam solam, et quidem antecedenter ad omne meritum sive naturæ sive gratiæ; ergo.

R. D. *min.* Docebant illos errasse, quod dicerent homines prædestinari ob merita gratiæ tam absolute quam conditionate tantum prævisa C. ob merita gratiæ absolute prævisa *subd.* quatenus hæc merita subiciebantur initio fidei aut conatui prævio naturali C. secus ac simpliciter N.

Ad *Conf. 1ºm.* R. D. *Cons.* Utrique id censuerunt vere, et assequendo mentem S. Doctoris N. non assequendo illam, sed errore quodam facti errando T. Probabilius videtur, querelas *Semipelagianorum* tantum spectasse prædestinationem ad gratiam fidei et perseverantiæ finalis, non autem ad gloriam solam; cum circa prius erraverint, neque posterius ab illo se junxerint. S. PROSPERUM decipi potuisse, mirum esse nequit, cum S. AUGUSTINUS ipse fateatur L. de præd. Sanct. c. 3. n. 7. a se erratum fuisse in questione dogmatis circa gratiam et prædestinationem, ac L. de Grat. Chr. c. 47. asserat, hanc materiam esse obscuram, adeo ut qui in ea quidpiam defendit, e contrario aliud negare videatur, scilicet vel gratiam, vel liberum arbitrium. Et vero, si revera S. PROSPER putavit, S. AUGUSTINUM circa prædestinationem præcise ad gloriam recessisse a placitis antiquorum, errore facti reipsa deceptus dici potest, cum ex hætenus dictis et mox dicendis pateat, S. AUGUSTINUM in hac materia contrarias partes non inivisse; unde factum est, ut S. Doctor propositæ a S. PROSP. questioni nihil responderit, et Patrum sententias L. de Don. persev. c. 19. dumtaxat circa prædestinationem ad gratiam accipiat et exponat.

Ad *Conf. 2ºm.* R. D. M. Adulti et infantes prædestinantur eodem modo quoad aliqua C. quoad omnia N. Pares illi sunt quoad prædestinationem ad gloriam, 1º. in hoc, quod illa nullatenus innitatur in meritis eorum naturalibus, sed radicaliter ac primo in sola Dei misericordia seu gratia omnino gratuita; atque hoc est quod S. Doctor LL. cit. intendit ac perpetuo urget: 2º. in eo, quod utrique prædestinantur ex meritis Christi ipsis applicatis: dispares vero sunt in hoc, quod parvulis sine propriis ac personalibus operibus bonis conferatur gloria, non autem adultis: illis intendatur gloria ut hæreditas, his vero ut corona. Quin nec postremum hoc asseri necesse est, dicique potest, nec infantes prædestinari ad gloriam, nisi post absolute prævisa merita Christi illis per Baptismum vel olim per aliud remedium applicata, sicut nec gloriam consequuntur, nisi post applicationem hanc actu factam; unde eorum gloria saltem *corona* dici potest respectu applicatorum Christi meritorum.

234. *Nec dicas 3º.* Peculiare est S. AUGUSTINO, quod prædestinationem explicet per separationem a massa corrupta et exitio devota, genus humanum post Adæ lapsum representante. De hac vero docet, 1º. separationem hanc non fieri sola prædestinatione gratiæ sanctificantis aut efficaciæ, sed eâ quæ fit ad gloriam: 2º. ita eandem fieri per prædestinationem ad gloriam,

ut quatenus hæc gloriam respicit, vere sit discretio et liberatio a massa perditionis: 3º. eandem separationem fieri nullis omnino meritis, sed gratis et ex sola Dei misericordia; quæ constant ex ep. 105. (al. 194. n. 5.) et 106. (al. 186. c. 6. n. 18. seqq.) ex Enchir. c. 98. et 99., maxime vero ex L. de Corr. et Gr. c. 7. Ergo.

R. Ad 1ºm. D. Separatio totalis consummata et perfecta non fit sola prædestinatione gratiæ efficaciæ aut sanctificantis C. nequidem partialis, inchoata et imperfecta N. Cum homines vocantur ad fidem, regenerantur, et ut Aug. ait, *bene pieque vivunt*; inchoatur discretio: cum discretos ad gloriam omnes inde incipere oporteat; adeoque etiam est partialis discretio: non tamen est perfecta, nisi perseverantia accedat finalis, ad quam consequitur gloria.

Ad 2ºm. D. Separatio fit totalis, perfecta et consummata per prædestinationem ad gloriam C. fit per eandem unice aut per eam antecedenter ad prædestinationem gratiarum ac perseverantiæ N. Permittimus hic S. AUGUSTINUM loqui etiam de gloria, cum hæc sit immediate conjuncta cum perseverantia, de qua ex professo plurimis in locis laudatis loquitur; quod verò electio ad gloriam sit prior, quam ad perseverantiam, adeo non docet ibidem, ut potius contrarium insinuare videatur L. de Corr. et Gr. c. 6. n. 10. ubi ait: *Quis in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono?* q. d. nisi propter perseverantiam prævisam, cujus scilicet fructus proximus et immediatus est gloria.

Ad 3ºm. D. Separatio non fit ex ullis omnino meritis, sed gratis et ex sola misericordia, excludendo per hoc merita naturalia C. excludendo merita gratiæ *subd.* Separatio inchoata et prima vel etiam adæquate sumpta, quæ complectitur prædestinationem tam ad gratiam quam ad gloriam C. Separatio perfecta et consummata seu præcise ultimata, et quæ unice dicit prædestinationem ad gloriam N.

235. *Nec dicas 4º.* Principium S. Acc. est, quod prædestinatio ad gloriam sit causa, cur gratia fidei, justitia et perseverantia conferantur electis; ergo juxta eundem hæc prædestinatio præcedit merita gratiæ. *Prob. Ant. 1º.* ex L. de Corr. et Gr. c. 7. n. 13. ubi ait: *Quicumque ab illa originali damnatione ista divine gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod et procuretur eis audiendum Evangelium; et cum audiunt, credunt; et in fide quæ per dilectionem operatur, perseverant; et si quando exorbitant, correpti emendantur.* 2º. ex L. de Don. pers. c. 9., ubi proponit 4. quæstionem, cur e duobus parvulis unus assumatur, alter relinquatur; 2. cur ex duobus impiis unus vocetur congrue, alter non; 3. cur ex duobus piis uni detur perseverantia, alteri non? et respondet in primis universim esse in his *inscrutabilia judicia Dei*; deinde singillatim de postremis, quod certissimum sit habendum, unum esse ex prædestinatis, alium non, neutra vero responsio foret apta in sententia nostra, ubi prædestinatio sequitur merita. 3º. ex eod. L. c. 14., ubi sic ait: *Tyrri relictis sunt et Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si illa mira Christi signa vidissent: sed quoniam, ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum... Nec illis profuit quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cujus inscrutabilia sunt judicia, et investigabiles viæ; nec istis obfuisse, quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, et induratis cor lapideum*